



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

194. Quisnam possit absolvere à censura iuris nemini reservata? Idem est
de censura permanente, & imposita per modum statuti. Et an absolutio
excommunicationis maioris impendi possit extra ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nem commississe cuiusque facultatem habenti, ut de censura juris non reservata dictum est, iura autem relata procedunt de censura speciali, ergo: & tandem hanc sententiam post hæc scripta invenio docere etiam Præpositum in 3. p. q. 1. de cens. in comm. dub. 13. n. 90. ubi sic ait: Dico secundo eos, qui possunt absolvere à censuris latis à jure, posse etiam absolvere à censuris latis ab homine per sententiam generalem, quæ scilicet habet per modum præcepti: ut si Episcopus præcipiat sub pena excommunicationis, ut omnes beneficiarii resideant, verisimile est non solum Episcopum posse absolvere, sed etiam alium, qui potest absolvere ab excommunicatione lata à jure, quia respectu talium censurarum non ita urgent textus, qui semper mentionem faciunt casus particularis, neque ex ullo urgenti principio contrarium videtur posse ostendi; & de cætero satis commodè idem de his potest esse iudicium, quod est de censuris latis à jure.

RESOL. CXCIV.

Quisnam possit absolvere à censura juris nemini reservata?

Idem est de censura permanente, & imposita per modum statuti?

Et an absolutio excommunicationis majoris impendi possit extra Confessionem Sacramentalem, tam ab Episcopo, quam à Parocho, aut Confessario Ordinario: Ex part. 5. tr. 9. Refol. 5.

Quoad hoc §. 1. **H**anc potestatem non habere Parochum, aut alium Sacerdotem, docet Paludanus in 4. dist. 8. q. 5. art. 1. Durand. q. 4. Covarr. 1. p. §. 12. numero 5. quia Parochus non habet ex suo officio jurisdictionem in foro exteriori, quæ necessaria est ad absolutionem ab excommunicatione majori. Vide etiam Fabrum de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disput. 4. cap. 8. num. 250. ubi firmat hanc opinionem variis rationibus.

2. Sed ego respondeo ad dubium quæsitum, quod à supradicta excommunicatione absolvere potest Episcopus jure ordinario, ut habetur in cap. nuper; §. in 2. casu, de sententia excommunicationis, & docent omnes cum D. Thomas in addition. quest. 24. & 21. Et ratio est, quam tradit Innocent. III. in dicto cap. nuper, quod scilicet ipso, quod à jure non receivetur, videtur committi jurisdictionem habentibus, quam rationem latè expendit Suarez sessione 4. & quamvis in dicto cap. nuper, solum fiat mentio de minori excommunicatione; ratio tamen assignata etiam currit in majori, & idem est de Capitulo Sede vacante, & de Abbatibus ac aliis Prælatibus Religiosorum, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, hoc est, fori contentiosi, ut docet Suarez sess. 3. & Sayrus cap. 19. num. 11. & sequentibus, contra Covarruviam, & alios, quamvis Parochus hanc potestatem non habeat jure ordinario, & ex vi sui muneris, sicut habet eam Episcopus, sed ex commissione à Summo Pontifice factam in prædicto cap. nuper. Atque ita licet Parochus ligare per censuram minimè possit, poterit nihilominus ex commissione absolvere: & idem existimo dicendum de quolibet Sacerdote habente potestatem absolvendi à mortalibus, quia iste dici potest proprius Sacerdos, cui in dicto cap. commissio datur. Et ita docet Cornejo in 3. part. tr. 5. de excomm. disp. 11. dub. 1. Præpositus in 3. part. quest. 1. de cens. in comm. dub. 14. n. 91. Turrianus de cens. lib. 2. disput. 19. dub. 6. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 17. diff. 28. num. 8. Moscolo in summ. tr. 16. cap. 7. num. 4. Tannerus tom. 4. disput. 6. quest. 10. dub. 6. num. 115.

Filliucius tom. 1. tract. 1. c. 9. n. 283. quibus addit Vaquez, Navarrum, Avilam, & Coninch, quos citat & sequitur Hurtado Complut. de excomm. disp. 11. diff. 2. n. 6. ubi n. 7. observat etiam quod absolutio à dicta excommunicatione majori non solum ab Episcopo potest fieri extra confessionem, sed etiam à proprio Parocho, & à Confessario ordinario, etiam prædictis, & tunc remittatur ad absolutionem à peccatis seu in ordine ad eam, quia potest quis uti potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle ut ea in totum, ut etiam dicemus diff. 5. de absolutione ab excomm. facta virtute Bull. Cruciat. aut alterius similis privilegij, Ita Hurtado.

3. Notandum est hæc cum Villalobos ubi supra n. 11. [Que lo que se ha dicho de la censura, que esta puesta por el derecho y no reservada, tambien se ha de entender de la censura permanente, puesta por via de estatuto de alguna Provincia à Obispo no estando reservada, aunque este confirmada por el sumo Pontifice, porque son de la misma manera que las otras; y corre en ellas la misma razon.] Sic ille.

RESOL. CXCV.

An Episcopus possit absolvere à censuris reservatis Papa, existente impedimento illum adveniendi; ita tamen ut cessante impedimento, teneatur adire, saltem per Procuratorem, sub pena rei incidentie; quam obligationem tenetur illi injungere, si non sit impedimentum pueritiae, quo adhuc cessante adire non tenetur?

Et an qui impediti sunt, si adire queant Nuncium aut Legatum Pontificis, possint absolvi ab Episcopo?

Et docetur, quod si impeditus nequeat Episcopum adire, possit cum supra dicto onere à Parocho absolvi, neque deficiente ab alio Confessario.

Et in textu hujus resolutionis apponuntur impedimenta, quæ excusare possunt excommunicatum à recursu ad Papam.

Et an si impedimentum sit brevis temporis, non possit ab excommunicatione Papa reservata Episcopus absolvere?

Et quid, si ignoratur, quamdiu duraturum est impedimentum? Ex parte 11. tractatu 8. & Muc. 8. Refol. 1.

§. 1. **A**d hoc dubium sic respondet Andr. Mendo Sacerdos in Bull. Cruciat. disp. 23. c. 1. n. 30. Potest quis, non obstante existente impedimento, quod nequit adire Pontificem pro absolutione à reservatis, absolvi ab Episcopo, vel alio, ut supra, ita tamen, ut cessante impedimento, teneatur adire, aliàs reincidet in eandem censuram, nisi sit necesse impedimentum pueritiae, qua adhuc cessante adire debet non tenetur, inferitur ex capite mulieris, & aliis de sentent. excomm. in 6. Hi autem, qui impediti sunt, si adire queant Nuncium, aut Legatum Pontificis, non possunt ab Episcopo absolvi. Ita Bonacina de censur. disp. 1. quest. 3. punct. 2. numero 4. probabile tamen est, posse, ut defendit P. Avila de censur. 2. part. cap. 7. dub. 6. quod si impeditus nequeat adire Episcopum adire, posse cum prædicto onere absolvi, vel à Parocho, aut ab alio confessorio, probabiliter tueretur P. Granado in 3. parte tractatu 10. disputat. 7. leg. numero 12. sed verius est oppositum, quia Pontifex solum ad Episcopos indulget in casu prædicto alio recursum, ut docet Cardinalis Lugo disputat. 20. de penit. numero 225. ita Mendo, cui quidem assentior.

2. Sed aliqui putant in tali casu adendum esse Nuncium, si adiri potest. Ratio est, quia tunc jam adest ad hoc Papæ locum tenens, & ita habetur